



16
Pub. 2. num. 39, ~~Pub. 3. 15.~~
EXERCITATIO POLITICA

DE

1645, 2
9 /
REGE TEM-
PORARIO,

Quam
Annuate Divini Numinis gratiâ,

PRÆSIDE

Viro Nobilissimò & Consultissimò,

P. M.
DN. NICOLAO MARTINI,

JC, Novell. & Politices Professore
Publ. celeberrimo,

habebit

MICHAEL FUCHS Borussus

Autor & Respondens.

Ad diem Aprilis in Auditorio Majore.

KILONI,

Literis Joach. Reumanni, Acad. Typogr. 1675.



EXERCITIO
Nobilissimo, Amplissimo, Experien-
tissimo, Domino,
DN. JOANNI CASPA-
RI PFENNINGIO,
Medicinæ Doctori, ejusque Practico
celeberrimo,

Patrono ac Populari suo,

hanc

de REGE TEMPORARIO
Exercitationem

in
promptissimi animi argumentum

&

optatam sui memoriam

D. D.

MICHAEL FUCHS

Autor.



FELICITER!

§. I

Tribus modis Regna haberi Hugo Grotius de J. B. & P. I. 3. 11. ostendit. Alia *jure proprietatis plenô*, alia *usufructuariô*, quædam denique *temporariô*. Quæ jure Proprietatis plenô Regna possidentur, dicuntur Grotio esse in Regis patrimonio; voce Patrimonii latius acceptâ, ut omnia hâc intelligantur, quæ quisque ex quocunque Titulo plenô dominiô possidet. Usufructuarium Regnum Grotio vocatur id, cujus proprietas ad alios, præter Regem, spectat, solâ Regni Administratione & fruendi jure uni concessio. Unde manifestum est, Regem usufructuarium in Regnum Domini effectus nullos habere, sicut non habet Usufructuarius privatus (à quo nomen ipsi est, & quicum non exiguam habet adfinitatem, quod infra explicatiùs dabimus) in rem, quâ utitur fruitur, & exinde Proprietario Regi Usufructuarium rectè opponi. Tandem jure Temporariô Regnum ab eo teneri dicit c. I. Grotius, cui vel certi negotii causâ, vel ad Tempus ita Regnum delatum est, ut finitô vel negotiô vel tempore, ipsius quoque regia finiatur dignitas, redeatque is in illum statum, in quo fuit ante adeptum Regnum. De tribus his Regnorum generibus pauca commentabimur, majorem semper Veritatis, quàm autoritatis rationem habituri. De primis duobus primùm latius dicemus, ut eorum naturâ probè cognitâ, cognitionem Regni Temporarii (si quæ hujus est) habere tantò faciliùs possimus.

A 12

§. II.

ED
&S.
LE



§. II.

Antequam Regni Proprietarii, quod hic dignitate præcipuum est, explicationem primò loco suscipiamus, fatendum est, hanc Grotianam Regnorum Divisionem Philosophorum limam ferre non posse. Quæ enim sibi non opponuntur, ea membra Divisionis perperam constituunt: Sed patet Usufructuarium Regem Temporario, & hunc illi opponi nullò modò posse, quòd quidam Usufructuarius Rex (loquor ex mente GROTII) possit esse Temporarius, & omnis Temporarius Rex, Usufructuarius esse debeat. Rectius itaque dixisset usus Grotius, Regnum in Proprietarium & Usufructuarium; Hoc rursus in Perpetuum & Temporarium dividendò. Quod adducere hinc voluimè nobis disputaturis circa Divisionem creetur molestia: Facile verò GROTIUS, invidendæ doctrinæ Viro, hujus fieri potest gratia, magis abstrusissimarum rerum cognitioni, quàm Arti intento, tum fortè memori L. 1. §. 1. ff. de J. & J.

§. III.

Quod igitur Regnum Proprietarium attinet, illud, quale sit, datâ definitione, ex assè tenebimus. Regnum Proprietarium definitio, quòd sit *Res-Publica, in qua unus jure suo, hoc est dominii, præest, omniaq, quæ ad Rem-Publ. pertinent, negotia pro lubitu ac arbitrio ad communem omnium utilitatem administrat, & liberrimè de iis disponit.* Non est opus, ut per omnia Casuum genera Definitionem hanc examinemus. Finem indicavimus, qui est communis omnium utilitas: Hic si probè observetur, nihil habet hæc Res-Publica periculi; sin negligatur ille, nulla potest hæc faciliùs in deterrimam abire Tyrannidem. Id novisse expedit, quale sit hujus *Rei-Publ. Subjectum*, quod rectè in uno constituitur

tur, jurè suo, hoc est, domini, regnante. Unde & Regni
Proprietarii appellatio, quòd Proprietas & Dominium in ju-
re nonnunquam *συνώνυμα* accipiuntur (nam & Jctus Nera-
tius L. 13. de A.R.D. *proprietatem pro dominio accipit*); quan-
quam aliàs Dominium & Proprietas distinguantur invicem,
imprimis propter L. 4. de Probat., tuncque proprietatem ut-
plurimum dicamus, quando ad usumfructum habetur respe-
ctus. Vid. Frantzk. 3. Resol. VII. num. XLVIII. & seqq. Ergò
Rex Proprietarius, cum domini jurè Regnum possideat,
omnibus etiam citra ullum dubium domini effectibus gau-
debit; Neque putandum est, Regem privatò esse posse in-
feriorem, quem dominum domini effectus sequuntur.
Itaque, quod jam in definitione diximus, liberè de Regno,
tanquam suo, Rex talis disponet, addo, illud alienabit, amif-
sumq; injurià, justè vindicabit. Præclarè Aristoteles Rhetor.
I, cap. V. ὁρῶ τὸ δικεῖον εἶναι, ὅταν ἐπ' αὐτῷ ἢ ἀπαλλοτριῶσαι:
Proprietatis definitio est, ubi penes nos est jus alienandi.

§. IV.

Illud disquisitione vix dignum est, utrum Regnum Pro-
prietarium possit jure constitui. Sunt tamen, fueruntque
omni tempore, qui acerrimè Statui se huic opposuere, quos
infra notabimus. Certè à ratione non abhorret, Regem con-
stituere: Neque ideò à ratione erit alienum, Regem cum
proprietate Regni creare; præsertim cum Regnum, ejusque
jura inter eas res numerentur, quæ humano commercio
non sunt exemptæ, proindeque modò in unius, modò pluri-
um esse possint patrimonio. Tum manet ipse Rex, qui Re-
gnum in bonis habet, boni instar Patrisfamilias, quod supra
annotavimus ad definitionem, & fieri non unò locò solet,
ut qui potestate suâ facilè abuti possunt, eâ non æquè, ac
illi abutantur, qui legibus Regni constricti, variis machina-
tionibus

tionibus populi perniciem, suæque potentiae incrementum
quærunt. Quod enim illi jam habent, eò hi demum potiri
gestiunt. Sed rectius hîc in modos inquiremus, quibus
acquiri tale Regnum solet. Hos pro duobus Rei-Publ:
temporibus duplices facimus: Primum qui in Pace, alte-
rum qui in Bello, ex quo oritur, obtinet. Utrumque c. l.
recenset Grotius.

§. V.

Primus constituendi aut quærendi Regnum Proprieta-
rium Modus est; cùm populus (vel in eo Proceres) motu vo-
luntatis spontaneo, Regnum, quod in Patrimonio habuit,
ita in unum aliquem transfert, ut se jure illò omninò pri-
vet, unumque Dominum Regni faciat. Grotius paulò aliter:
*cùm populus in ditionem alicujus ita concessit, ut nihil excipe-
retur*: Hunc modum in Pace obtinere, facile quis videat,
cùm non habeat principium aliquod extrinsecum, vel su-
perbiam Victoris, vel majoris mali metum, (quod in bello
plerumque fit); sed populi voluntatem: Tum justissimum
esse hunc possidendi Regnum modum, patet ex eo, quòd
qui habuerunt Regnum in patrimonio, (potest autem quòd
quis habet transferre in alium) volentes, nullòque cogente,
illud in unum transtulerint, ipseque Rex volentibus, non
invitis imperet. Exemplum hujus rei habemus in populo
Romano, qui pacis tempore, & ut Pomponio l. 2. §. 11. ff.
*de O. J. placet, rebus ita dictantibus, & quod necesse esset, per
unum Rei Publ: consuli, jus, quod habuit, omne in unum
contulisse fertur. Nota exinde est decantatissima Lex Regia,
quam Jcti toties in ore ferunt. Lege Regiâ, ait Imperator
§. 6. Inst. de J. N. G. & Civ: quæ de Principis imperio lata est,
populus ei & in eum omne imperium & potestatem suam con-
cessit. Idem ante Justinianum dixerat l. 1. de Constit. Princ.*
Jctus

JCtus Ulpianus: Quanquam non nesciam, litem de lege hac Regia esse inter eruditos, eam aliquibus existisse adfirmantibus, aliquibus negantibus: Neque illi, qui negativam tuerentur, protritit pugnant argumentis. Ego verò hanc controversiam meam non facio.

§. VI.

Hanc doctrinam integra Disputatione oppugnare conatur Franciscus Hotomannus, *JCtus Gallus*, qui *Quæstionum Illustr.* quæstione I. in genere primùm contra Statum hunc opponit: quòd in eo *Liberi Homines servi fiant, incipientque esse in commercio*, quod tamen contrarium sit *L. 103. ff. de V.O. & l. 34. §. 1. de contr. emtione*. Sed falsam hanc Hotomanni hypothèsin eruditissimè, more suò refellit incomparabilis *Grotius de J. B. & P. I. 3. 12*. Quin & in hoc statu nascuntur suntque ingenui & servi, nullaque *Republ.* (de recta sermo est) excogitari potest, in qua sua non constet populo Libertas, quanquã modò major in hac, modò minor in illa, maxima autè in Statu populari. Gravissimè hoc enunciat *Boxhornius de Regio Romanorum imperio cap. 1. §. II.* Sed vel in hoc solo errat Hotomannus, quod negotium, quale hoc est, publicum, & ad Principes, Rebus publicis diversis, pertinens, ex Romanorum Legibus decisum cupiat. Inprimis inquit: *quòd si simpliciter alicui Regnum delatum est, quia Rex moderator esse debet Rei-Publ., non everfor; auream de Rei-Publ. Curatoribus regulam servandam esse*. Quis non lapsus sentit Hotomannum? Ille nènè, cui simpliciter delatum est Regnum, Curatori aut Administratori erit similis? Nullam omninò cognationem habere mihi videtur Curator cum hoc Rege. Curator rerum, quas curat, non est Dominus: Hic Regni Dominus est: Falsum porrò, qui liberè de Regno disponit, aut illud alienat, esse Everforem Rei-Publ.

ED
&S.
LE



Publ. Quin potest non unò casu hæc de Regno dispositio
Regnivè alienatio Subditis esse proficua, majoris mali vi-
tandi ergò. Existimo metu majoris mali impulsos Attalum
Eumenis filium, Appionemque Reges, *populum Romanum
heredem Regnorum suorum scripsisse.* Cum enim viderent
Romanos totum involare Orbem, eumque vi & armis ad
se rapere; tum etiam injustitiam armorum Romanorum
perspectam haberent, consultius esse duxerunt, in Regno
suo cum subditis esse superstites, quàm eorum violentiã op-
pressos occidione omnes occidere. Appositè apud Tacitum
Galgacus in vita Agricola: *Romanorum superbiam fru-
stra per obsequium & modestiam effugeris: Raptores orbis, post-
quam cuncta vastantibus defuere terra, & mare scrutantur:
si locuples hostis est, avari, si pauper, ambitiosi; quos non Oriens
non Occidens satiaverit: soli omnium opes atque inopiam pari
affectu concupiscunt: auferre, trucidare, rapere falsis nominibus
imperium: atque ubi solitudinem faciunt, pacem appellant.*
De injustis Romanorum bellis eleganter agit Arthurus Dyck.
de usu & Autor. Juris Civ, Rom. l. 1. c. 1,

§. VII.

Alter modus habendi Regnum proprietarium ad Bel-
lum spectat, ex cujus jure etiam proficiscitur, cum bellò Rex
populum sibi subjecit. Bello hostes ipsorumque bona ac-
quiri hostibus, fierique capta capientium, expediti juris est:
Rationem reddit Paulus Jctus ex Nerva filio *L. 1. §. 1. de
Acqu. Poss. quòd res hostium hostibus non aliò locò sint, quàm
quò sunt res nullius, ac eorum fiant, qui primi earum possessio-
nem nacti sunt.* Hoc quomodo intelligi debeat, alii expli-
cant aliter: Certè dubium non est, res hostium alicujus
fuisse; Invitis enim illæ eripiuntur. Quæ verò alicujus
sunt, ea, quòd nullius sint, dici non possunt. Vid. §. 17. Inst.
de

de R. D. & ad eum Commentatores, inter alios Bachovius & Arnoldus Vinnius: qui tamen paragraphus, cum de acquisitione privatorum agat; nobis verò hîc de Principibus & Rectoribus populorum bellò acquirentibus sermo sit, non nisi hûc indirectè pertinet. Elegans locus est apud Xenophontem *παρδείας* Libr. VII, ubi Cyrus major ita loquens introducitur: *Quòd sit vòμ & αἰδὸς in omnibus hominibus, ut si hostium Urbs capta sit, capientium sint & corpora eorum, qui sunt in Urbe, & pecunia.* Apud Romanos ituris in bellum Ducibus *Quæstor adjungebatur, qui prædam & spolia ex hostibus colligeret, venderet, & pecuniam postea in ærarium referret:* ex qua Historia explicari debet L. penult. ad L. Jul. Peculatûs. Sed in re notissima diu nos hæere non oportet. Id nemo ibit inficias, magnam & ferè illimitatam Victoris in victos esse potentiam, quanquam Lex Christi & moderatio etiã hostibus parcendum dicitent, & sui quodammodo etiam licentiæ bellicæ sint fines. Certè tantò major erit in Victore humanitatis gloria, quantò in multos insignior est & injuria & beneficentia. De moderatione Victoris pulchrè Hugo Grotius de J. B. & P. libr. III. Id tamen negandum non est, pro summo beneficio accipiendum esse, si quid victor lenius in victum statuatur. Satis autem lenitatis existimo, si victis parcat Victor, in eosque, quos Dominio privatò exuere poterat, Imperium tantum suum exercent. Aptè Clar. Dominus Præses contra Auberium Gallum: *Pro beneficio accipiendum est, si, qui Victor, bona, libertatem, vitam adimere poterat, victis & dominium privatum & libertatem relinquat; solum sibi imperium plenò & irrevocabili modò vendicans.*

§. VIII.

Sunt tamen, qui Occupationem per bellum ad populum

B

lum

ED.
S.
LE

lum jure proprietario habendum solam sufficere non existimant; sed hic quoque, uti in priore modo, voluntate Subditorum, pactoque inter victorem victosque opus esse contendunt; ita quidem, ut nisi pactum illud fuerit interpositum, Victor debellatos jure proprietatis non possideat: Pacto enim ex statu belli in statum pacis demum transiri, & ut quis hoc vel illo modo populo praesit, pacto opus esse. Et quomodo cuidam nisi stipulanti tanta fides & hoc obsequium debetur? quamvis victores id habere praecipuum ipsi illi concedant, ut consensum devictorum non per ambitum aut preces eblandiri necesse habeant; sed per intentata mala extorquere possint. Nos hanc Philosophiam in medio relinquimus; neque immerito quis in dubium vocaverit, utrum pacto semper, & indistincte, & in subjugato populo opus sit, ut ex statu belli exeatur: Aliter Poeta

Pugna suum finem, cum jacet hostis, habet.

Fortè hac ratiocinatio tum procedet rectius, si populus non omnino sit devictus, sed domitus, ita tamen domitus, ut vires possit resumere, & iterato bello ad pileum vocare. Id equidem extra dubitationis aleam positum puto, bello victos, jamque servitutem servientes, non temere aut posse aut debere in libertatem se vindicare, excusatio, quod semel subiere, jugo: Pertinet huc illud: Displicere amplius non potest, quod semel placuit, & gravis est Agrippae Regis apud Josephum ad Judaeos Zelotas Oratio: *Intempestivum est nunc Libertatem concupiscere; olim ne illa amitteretur certatum oportuit. Nam Servitutis periculum facere durum est; & ne id subeatur, honesta certatio. At qui semel subactus deficit, non, Libertatis amans dicendus est; sed servus contumax: Ad- dit Josephus: Honestum quidem est, pugnare pro libertate; sed id olim factum oportuit. At, qui victi sunt, & longo tempore*
parue-

*paruerunt, si jugum excutiant, faciunt, quod desperatorum ho-
minum est; non quod libertatem amantium.*

§. IX.

Iterum nobis objicit se Hotomannus, qui c. l. neque eum, qui jure Victoriæ populum sibi subjecit, in populum effectus illos proprietas habere contendit, ut & de eo dis-ponere, illumque (si ferat salus Rei-Publ.) alienare justè pos-sit: Rationem suggerit hanc; *quòd Rex Regnum vel populum talem non solus ac per se, sed civium sanguine, laboribus & peri-culis acquirat, & communibus multorum laboribus acquisitum, commune, non verò Regis proprium sit.* Sed quàm frigidum hoc erit argumentum, si mercenariò milite populum ali-quem Rex subjugaverit? factumne hoc civium sanguine dicet Hotomannus, & instanter negare perget, dari casum posse, quòd, bellò perdomitum populum jure proprietatis tenere possit Rex? Et si vel maximè utatur Rex aliquis ad debel-landum populum Civium suorum sanguine & laboribus: statimne occupatum Regnum ex mente Hotomanni com-mune habebit Rex cum civibus? Id ego quidem pernega-vero. Utitur hinc Rex civibus suis, velut instrumentis, qui non ex sua, sed Regis voluntate agunt. Non verò quic-quid aut Dominus per servum, aut Pater per filium, tan-quam instrumenta acquirunt, Domino aut Patri cum servo filiove commune est. Præclarè Pufendorfius de J. N. & G. cap. VI. Libr. VIII. §. XXI. *Ei, inquit, qui Autor belli est, quiq; summum gerit imperium, acquiri, quicquid in bello capitur, aut per quoscunque id primum apprehendatur; sive illi sint merce-narii milites, sive Cives, quibus militia pro imperio citra stipen-dium fuit injuncta.* Hinc facit locus Æliani: *Non licebat Vi-ro Lacedæminio nè spolia quidem hostis legere.* Quanquam non absurdum sit, aliquando tam Regi, quam subditis bona

hostium acquiri; aliquando ab utroque soli Reipubl. quoti-
dium probat ex Grotio Pufendorfius c. l.

§. X

Deveniendum nunc ad illos, qui talem statum, quò
Rex Regnum in patrimonio habet, justum esse pernegant.
Non hoc fecerat Hotomanus, qui solum id dedit operam,
ut ostenderet, etiã in tali Rege potestatem alienandi esse limi-
tatã, neq; ex suo unius arbitrio alienationem faciendam esse:
Atque hinc illi facilè animadversione dignissimi sunt, qui
improbissimò ore subjectum summæ potestatis in omni
Rep. semper & indistinctè apud populum remanere con-
tendunt, esseque contra naturam, si quis Regem cum sum-
ma potestate, nedum cum proprietate Regni, quam summa
semper comitatur ex rei natura potestas, constituat. Mon-
struosum hoc vocat hominum genus Cl. Bœclerus, inque
Doctores tales mirè invehitur in Ann. ad Grotii Lib. I. c. III.
Hinc nata periculosissima illa Majestatis Personalis & Realis
divisio, quæ tot Regum sanguine cruentata est. Inde eti-
am inauspicatissima illa Majestatis Personalis definitio,
quòd ea sit *summa potestas præter DEUM & GLADIUM*
neminem recognoscens, ubi per gladium furor populi intel-
ligitur; sicuti definire Majestatem placuit Befoldo, non in-
fimi aliàs subfelli Politico c. I. de Majestate in genere §. XIV.
Hinc tandem doctrina illa tendit, ut in statu Monarchico,
indistinctè omni Rege superiorem faciat populum, Regem-
que omnem populi ministrum. Eleganter tales Doctores
contradictionis arguit modernorum Politicorum non nemo,
qui, *dum Regem velut summum in Republ. describunt, eun-
dem tamen populò inferiorem faciunt*. Non ita pridem do-
ctrinam hanc ab Orco revocaverat Johannes Miltonus, An-
glus, qui novis & in speciem effectis argumentis applausum
prome-

promereri voluit; certè tum temporis in Anglia promeritus est, quæ Regis cæde saucia, hinc afflictæ conscientia solatium quæsivit. Insurrexit contra hunc Salmasius; sed ex iudicio Bœcleri in Annot. ad Grotium c. l. infelicius: *Ue enim improbus fuit in deprimenda Regum potentia Miltonus; ita ille in evehenda immodicus*: Sicuti eandem censuram in Regis Jacobi causa meriti sunt Georgius Buchananus & Wilhelmus Barclajus, ambo Scotiae clarissima Lumina. Sed dubium non est, ipsum Miltonum atrocis illius scripti poenitere. Quamvis enim gratia ipsi à Rege facta sit; ipse tamen semper metuit, neq; peregrinis præcipuè (uti fertur) secum colloquendi facit copiam. Sed nos quidem in refutando hoc dogmate operosi non erimus. Illud præstiterunt Dominus Pufendorfius libr. vii. c. vi. §. iv. v. vi & antea Albericus Gentilis de vi in Principem injusta, Arnicaeus de autoritate Principum in populum semper inviolabili. Miltoni palmarium argumentum doctè enervat Grotius de J. B. & P. L. i. c. iii. §. viii. Addi potest Cl. Conringius speciali Tractatu de summæ Potestatis Subjecto.

§. XI

Id quidem bonus Princeps spontè faciet, ut non pro libidine suos subditos alienet, eosq; alienandò eat perditum. Quis enim ita se cui tradat, ut perdatur; imprimis, si, qui se tradit, etiam non tradendi se facultatem habeat? quod in iis fit præcipuè, qui liberâ voluntate in unius imperium concesserunt. Hoc tamen etiam subditi sibi dictum putent, ut, cum alienationem suam insignis svadeat Reip. utilitas, aut, quæ fortissima est, ineluctabilis urgeat necessitas, non inviti (modò tolerabilis adhuc supersit conditio) se alienari patiantur. Cum enim voluntas Subditorum Reipubl. scopo debeat esse conformis; ipsi quoque salutis suæ publicæ

B 3

cam

ED
S.
LE

licam Reipubl. anteponeere tenebuntur. Tum hoc quam
libentissime facient, si instet gravis necessitas; cum alias
ipsis quoque una cum toto Reip. corpore pereundum foret.
Eleganter hac persequitur Zieglerus in Ann. ad Grotium pag.
CCXCV. Hac tamen dicta sunt de iis, qui simpliciter sub-
diti sunt, & nullam exceptionem alicui subsunt, quales etiam
conditio Regni proprietarii requirit. Gravis est quaestio, quid
licitum subditis, si illi nullam utilitatem vel necessitate Rei-publ.
praesente, vel Turcae vel alii impurissimo Domino mancipen-
tur. Certum tamen de vitae, quam animae periculo conque-
rentur. Ego tamen hic nihil definio. Tantum de primo
Regnum habendi modo dixisse sufficiat.

§. XII.

Proprietario Regi opponitur Usufructuarius, de quo hic
differendi locus est. Habet ille cognominationem suam ab
Usufructuario privato, quod huic in aliquibus non admo-
dum sit dissimilis. Usufructuarius in jure privato proprie-
tatem rei, quam tenet, nullam habet; solum rei istius fru-
ctum habet, proprietate penes alium manente: Regis Usu-
fructuarii quoque Regnum non est, quod possidet; sed eo
utitur, fruitur, proprietate ejus apud alios, quorum in patri-
monio est, praeter Regem remanente. Tum Usufructuarius
privatus de re possessa, quod ea sit alterius, alienare nihil
potest: utitur ea tantum boni Viri arbitrato, sique finitus
sit usufructus, consolidationem fieri non prohibet. Non
secus Rex quoque Usufructuarius alienare de Regno, quod
proprietate alterius est, nihil aut debet, aut potest; sed pra-
est ipsi tanquam bonus Paterfamilias, neque impedit, ut sibi
defuncto vel alius extraneus succedat, si sit Regnum ele-
ctitium, vel si in eo successionis locus est, successor ex lege
Regni succedat. In aliis Regem Usufructuarium cum priva-
to conferri nollem.

§. XIII.

§. XIII.

Hoc ante omnia tenendum est, non esse Regis Usufructuarii notam individuum, eligi aut electo succedere. Quale enim Regnum hoc vel illud sit, non ex electione, aut successione discimus; sed ex formula illà, quã populus voluntatem suam Regi significavit, quãque modus continetur, quò ipse Regnum habere debeat. Ita quin electo Regi Regnum à populo cum facultate illud propriò jure sibi habendi, tradi possit, omni dubiò caret Vid. Cl. Domini Præsidis Dissertat. II. de Confraternitate §. XXX.

§. XIV.

Dixi Proprietario Regi usufructuarium opponi, quod quidem strictè accipiendum est. Neque enim in omnibus omninò propriarius usufructuario opponitur, quod fieri non nemo metuit; sed eatenus propriarius usufructuario opponitur, quòd ille Regnum habeat in patrimonio & proprietatis effectibus gaudeat; hic neque Regnum jure suo possideat, neque domini effectus exercere possit. In his propriarius & usufructuarius conveniunt, quòd uterque absolutam habere in Regno possit potestatem; ita tamen, ut absoluta illa potestas Regi proprietario sit perpetua, neque ullus propriarius Rex sine absoluta potestate dari possit; In usufructuario verò Rege modò potestas illa sit plena, modò plenã minor. Posse Regem, etiam usufructuarium, cum summa & absoluta potestate constitui, id quidem unius Galliarum Regis exemplo fiet manifestum. Regem Galliarum *πρωτοβασίλευς* h. e. absolutum Monarcham plerique statuunt Politici: Ipsi etiam Galli talem eum proclamant, quod vel ex solo Auberio patet. Eleganter de Gallis in Icone Animorum Barclajus: *Populo ingens amor & potentia dominantis; Apud illos verè regnatur, nefasq; quan-*

ED
S.
LE

tum Regi liceat, dubitare. Iplum tamen illum Galliarum Regem jure Regnum tenere usufructuario, affirmare nullus vereor. Annotatum supra est, Regem usufructuarium de Regni, sive, ut vocant alii, Coronæ bonis, alienare nihil posse: Qualis igitur erit Rex Gallia, qui, quoad alienationem Regni, pro minorenni habetur, cujus actus in jure nulli sunt? *Si quid in Gallia alienandum est,* inquit Franciscus Hotomanus, ipse Gallus, Illustr. quæst. I. *feri alienatio debet, convocato publicæ gentis concilio, quod vulgo Trium Ordinum conventum appellant.* Vide apud eundem citatos Autores. Nemo igitur existimet, injuriam me Gallo facere, quod eum in numerum usufructuariorum Regum referam. Accedit, quod Rex Gallia successorem sibi nullum possit decernere, servato hoc honore Reip., ut ex sua, non Regis lege succedatur. Tum ipsis in Gallia successionebus sui sunt fines positi. Quis nescit foeminas ab ordine succedendi exclusas dici lege Salicâ? Cum tamen in Regno Proprietario nullus sit datus successioni modus, ipsis etiam foeminis succedere valentibus: Tum defectum omnem succedentium supplere potest Regis unica voluntas, quæ successori apto designando satis est idonea.

XV.

Ergo differt non in omnibus, sed in quibusdam tantum, à proprietario Rex usufructuarius, imprimis verò ratione effectuum proprietatis. Nihil idcirco de Regni bonis (puta suis unius auspiciis) alienabit Rex usufructuarius; quanquam de suo liberalis, aut, quod Regium est, magnificus esse non prohibeatur. Habet enim Rex usufructuarius alia etiam bona, præter ea, quæ regni sunt, quæ efficaciter alienabit. Hæc fortè habuit antequam Rex fieret, & tum etiã possidet, cum Rex factus est, non quatenus Rex est; sed quatenus

tēnus consideratur extra regiam dignitatē constitutus. Veteres Jcti, habitō ad Cæsarum tempora respectu, hæc bona vocarunt *res Cæsaris, res privatas, privatam Principis substantiam, rem dominicam & patrimonialem*, quibus titulis hæc sua bona passim in Constitutionibus ipsi Imperatores insigniunt, uti videre est ex integro titulo Cod. de Fundis patrimonialibus & saltuensibus l. 11. tit. 61., hæcq; Cæsarum bona Jcti diligenter opposuerunt rebus ad totam Remp. spectantibus: Elegantissimè hæc bona distinguit Nero Ann. XIII. in Oratione ad Patres, *in qua promittit, discretam se domum & Remp. habiturum*. Inter eas res, quas usufructuarius proprias habet, rectè referas etiam redditus illos, quibus ex indultu Reip. fruitur Princeps ad vitam regiè sustentandam. Hæc enim bona cum inter acquisita numerari possint, cum effectu alienantur. Non per bona illa intelligo patrimonium illud populi, cujus fructus destinati sunt ad sustentanda regiæ dignitatis onera, cujus nec modicam partem alienare potest Princeps, quia quod meum non est, id in alium transferre cum effectu non possum. Id dico fructuum ex patrimonio illo perceptorum alienationem usufructuario Regi concedendam esse. Quomodo etiam Reges per fiscum sibi acquirant notum est: Magna ab Imperatoribus Procuratorum Cæsaris sive rationalium habitatio, missique illi sunt non cum minuta potestate in Regiones illas, quas Imperatores in provinciæ formam redegerant. Britanni apud Tacitum in vita Agricolæ conqueruntur, *Legatum in sanguinem, procuratorem in bona servire*. Hodie servatur adhuc distinctio inter ærarium publicum & ærarium Principis *zwischen der Kammer/und einer Landschaffe Güter*. Videri potest Caspar Klock. de ærario. Sed hæc latius exsequi nostri non est instituti.

C

§. XVI.

ED
S.
LE



§. XVI.

Quaestio Domitiana est, utrum à Rege quocunque gens aut civitas tributaria alienari possit. Certè quæ gens aut civitas sui adhuc juris est, ea ab extraneo frustra alienatur. Neque enim pensio tributi servitutis est indicium. Quin potest liberrima gens, diffusa suis viribus, vel, ut bellum redimat, tributum alicui pendere, ut suam tamen retineat *à se negotiâ*, suis vivat etiam Legibus, neque ejus, cui tributum solvit, dicta audiat. *Quamvis infirmitatis confessio de dignitate aliquid delibet, uti eleganter ait Hugo Grotius l. c. III. §. XXII.* Proinde quoque accepimus, liberrimam gentem hâc nostrâ ætate noluisse Turcarum Imperatori tributum solvere, quòd hòc ipsò imminuta videretur ipsorum dignitas: Maluit illa dubio implicari bellò, & omnium, quæ chara sunt in hac vita, quàm minimam dignitatis jacturam facere. Hæc tamen quæ dicta sunt, omnibus populis tributum exsolventibus accommodari vix possunt. Eadē ratio est vel civitatum vel populorum, qui, ut protegerentur, in partem alterius Reipubl., salvâ semper manente libertate suâ, concesserunt. Hi quoque inutiliter alienantur, nè dicam improbè. Certè iniquum est, cui curam & protectionem debeas, eum non modò non curare; sed & alienare & in pejorem statum conjicere. Plurima hac de re habent Martinus Magerus de Advoc. Armata & alii. Adde potest Dn. Martinus Bœckell Jctus de Jure protectionis clientelaris.

§. XVII.

Illud scire operæ pretium est, utrum populus, vel ex eo proceres, qui Regnum in patrimonio habent, illud invito Rege alienare possint: Quod quidem constantissimè negandum est. Quamvis enim Princeps Regnum in bonis non habeat, habet tamen aliud aliquod jus in Regnum illud, quod invito

invito sibi auferri non potest. Sicut & usufructuario privato invito jus suum auferri nequit.

§. XIX.

Nunc ad Regni Temporarii expositionem veniamus, facile veniam impetraturi, si prolixiores quodammodo fuimus in explicandis Regnis duobus, proprietario & usufructuario, quòd sine prævia eorum cognitione Regni Temporarii explicatio difficilis fuisset. Quale sit Regnum Temporarium thesi I. ex rudi ejus descriptione didicimus. Forma in eo consistit, *quod ad tempus, vel negotii alicujus causâ regnetur, regnumque deponatur, vel elapsò certò tempore, vel confectò negotiò.* Hanc Regni Temporarii formam si curatius pensitem, ea mihi cum Regni natura Regisque conditione pugnare videtur. Hocnè Regium est, deponere diadema, & vi pacti in eum, etiam nolentem, redire statum, in quo quis fuit, antequam Rex fieret? *Illud in Principatu beatissimum esse,* inquit Plinius Panegyri. *quod nihil cogitur.* Et Salustius in Jugurtha. *Impunè quidlibet agere, id est Regem esse.* Hoc puto manifestum esse, nullum Regem sine Majestate dari posse. Dices sine animâ Hominem; Solem sine lumine, Regem sine Majestate: Ergò agendum, videamus, utrum Regi Temporario Majestas tribui possit: si sustinerit, Rex nobis erit, si defecerit, neque eum regiò honore dignum habebimus. Totum hoc negotium solâ Majestatis definitione expediri potest.

§. XX

Majestatem definit Bodinus de Rep. C. VIII. L. I. *quòd sit summa & perpetua potestas, legibusque soluta in Cives & Subditos;* Græci eam potestatem vocant ἀκρὰν ἐξουσίαν, interdum κρείαν ἀρχήν, interdum τὸ κύριον, πλίτευμα. Nos hanc Bodini retinebimus, cum & ipse eam summopere commendet,

C 2

ED.
S.
LE

mēdet, nec ante se (ut est homo arrogans) aut Philosophorum aut Jurisconsultorum quenuquam Majestatem definisse audacter magis, quam verè contendat. Unicus Aristoteles tot ante Bodinum seculis longè pulcrius Majestatem III. Polit. c. VI. definierat, quòd sit τὸ πολίτευμα τῆς πόλεως πανταχῶς κρείον. Illud obiter observandum est, τὸ *Perpetuum* abusivè hīc usurpari, quod etiam conveniens est Juri civili, in quo τὸ perpetuum pro certo temporis spatio puta XXX Annorum accipitur. Videri potest rubrica tituli Instit. de Perpetuis & Temporalibus Actionibus, & ad eam Commentatores. Ille igitur nobis hīc perpetuam habere dicitur potestatem, qui eam habet donec vivit, licet vita ipsi non diu suppetat, neque dignitatem per posteros suos continuet. Ita Rex electus rectè perpetuam habere potestatem dicendus est, tametsi eam cum vita deponat: ut mihi non immeritò errare errorem videatur Hobbesius, gravem & pestilentem, qui de cive cap. VII. §. XVI. c. IX. §. XI, indistinctè omnem electum Principem populi facit Ministrum, & in eodem temporarii Monarchæ exemplum proponit.

§. XXI.

Jam igitur ad definitionem Bodini, quam laudat etiam Sutholdus de Jurisdic. §. XX, velut ad lapidem Lydium Regem nostrum temporarium examinemus, visuri utrum summam, perpetuam & legibus solutam habeat potestatem. Perpetuam non habet, quòd eam non habeat ad vitæ tempus; sed ipse illà se intra definitum temporis spatium exuere debeat. Sed summam fortè habebit? At neque eam habet; cum summa potestate pugnare mihi videtur, quicquid à certo negotio aut tempore suspenditur, quòd omne hoc fiduciarium sit & aliunde dependens. Rectissimè Cl. Bæclerus: *Hac mihi cum Majestate pugnare videntur precarium*

rium habere imperium, revocabile, temporarium. Quod
Grotius c. l. regerit, durationem temporis in genere mo-
rum, rei naturam non immutare, modò iidem sint effe-
ctus; id equidem si non alibi; hîc tamen insignem pati-
tur exceptionem. Certè temporis duratio ipsam quasi in-
greditur Majestatis Regiæ substantiam, absq; qua Rex esse
definit. Tum controversum adhuc est, utrum Dictator
(hujus exemplum Grotius proponit) eosdem cum Rege ef-
fectus habuerit, qua de re infra. Quis porrò tam he-
bes est, ut non animadvertat, nostrum Temporarium
Regem neque legibus solutam habere potestatem? Legi-
bus solutus Princeps ille dicitur, qui humanis positivis,
etiam à se latis non tenetur. Cum enim omni lege talis
Princeps sit superior, nulli legi subesse poterit: quamquam
generosissima illa vox sit; *licet legibus soluti simus, attamen
legibus vivimus.* Exemplò Lycurgi, *qui non inventione le-
gum magis, quam exemplò clarior nihil lege ullâ in alios
sanxit, cujus non ipse primus in se documenta daret,* uti pere-
leganter de eo Justinus Libr. III. Id controversum non est,
Principem quemcunq; Naturæ & DEI legibus obligari, quòd
omnis Majestas DEO sit subdita. Eruditissima hac de re
habet Sutholdus de Jurisd. princ. ferè. Ergò qui tenetur illâ
lege positivâ humana, quæ jubet, ut intra certum tempus
vel fiat quid, vel non fiat, in specie, ut deponatur pote-
stas; ille legibus solutus non est. Cui igitur non competit
summa, perpetua & soluta legibus potestas; ille Majestatem
non habet; qui non habet Majestatem; Rex non est: quòd
hac coverti posse videatur propositio. Nemo igitur me
putet injurium, quòd Regem dari temporarium imposterum
sim negaturus, quod hîc Regis propriè dicti splendorem
non ferat.

§. XXII.

Talem igitur Hominem, majore & extraordinariâ potestate instructum, ad quem censum referemus? Ad Magistratum ordinem hunc referri æquius est, quamvis Extraordinariorum, quod facit Sutholdus c. I. §. CCXII. Nota res est, Majestatem sua habere jura, quæ alii ad tria, alii ad plura, alii pauciora capita referunt. Inter illa postremum non est constituendorum & destituendorum Magistratum jus, quando Majestas alicui id, quod erat solius Majestatis, ita mandat, ut tamen à Majestate illa persona, cui quid mandatum est, pendeat, ad ejusque arbitrium quiescat. Jcti moderni vocarent Jurisdictionem, sub qua nonnulli continere dicunt & mixtum & merum etiam imperium; utut, si ad Remp. Romanam fiat respectus, hæc longè aliter proponenda fuerint. *Quantum est*, inquit Jctus l. II. d. O. I. §. *jus in civitate esse, nisi sint, qui jura regere possint?* Quàm igitur eos falli necesse est, qui Majestatem cum Magistratu confundunt, & sub eodem Titulo de utriusque officio agunt. Notat Cl. Bœclerus Inst. Polit. L. II. C. VI. veteres Latinos hæc vocabula nunquam promiscuè usurpasse, ut qui Majestatem haberet, eum Magistratûs nomine vocarent, & Magistratu fungenti Majestatis vocem tribuerent: quæ observatio utrum perpetua sit, non abs re est dubitare. Jctus Paulus l. XI. π. de J. & J. *jus esse ait, ubicunque Prætor salvâ Majestate imperii sui, salvòque more majorum jus dicere constituit: Appius Claudius apud Livium Libr. II. Agedum, inquit, Dictatorem, à quo provocatio non est, creemus jam hic, quò nunc omnia ardent; conticescet furor, pulset tum mihi licτόrem, qui sciet jus de tergo vitæque penes unum esse, cujus Majestatem violavit.* Ex his apparet tam Prætori, quam Dictatori, Magistratibus, Majestatem attribui. Præto-
torem

torem nudum fuisse Magistratum constat; Hinc illud: *Praetorem non condendi, sed iuris reddendi habere potestatem.* De Dictatore plura inferius dicemus. Sed fortè hîc Majestatis vocabulum pro autoritate, dignitate, amplitudine accipitur, quòd infrequens non est. Ego tamen etiam apud Justinum L. II. lego, Magistratûs vocem accommodari iis, qui Majestatem in Rep. habebant. Ait Justinus de Demarato, exultante apud Darium, quòd consilium belli, in aula Darii Regis agitatum *Lacedamonem Magistratui perscripserit*; quò loco per Magistratum ii sunt intelligendi, qui tum Lacedamone Majestatis jure præfuerunt. Sed rem ego in medium relinquo; magnam in his infinitæ Lectionis viro autoritatem largiens. Placet Magistratus definitionem ex Aristotele adferre, cujus Græca ita Latinè verti potest. *Magistratus est Præfectus societatis civilis, cui data est de quibusdam deliberandi, judicandi, & præprimis imperandi potestas.*

§. XXIII.

Nunc exempla quoque eorum, qui pro Rege Temporario disceptant, perlustremus, operam daturi, ut ad oculum pateat, hæc exempla ad classem Magistratum reducenda esse. Ex Romana Rep. Dictatorem nobis objiciunt, ex Græca Æsymnetam. A Dictatore initium faciemus, si prius viderimus, quas vices, quamque formam, antequam crearetur Dictator, Romana Resp. habuerit. Rem ab ovo ordiemur.

§. XXIV.

Romanam Rem-Publ. (*cuius res gestas si legamus, non unius populi; sed generis humani universi facta intuemur, uti de ea gloriatur in Prol. Florus,*) primis ortus sui temporibus sub Regibus fuisse, nemo est, qui ambigat: Quale verò illud Regum in Romanos fuerit imperium, id equidem satis liqui-

ED
S.
LE

liquidò non constat. Quidam illud plenum & absolutum
fuisse credunt. Imperiò absolutissimò in Romanos usos fuisse
Reges Boxhornius de reg. Rom. Imp. & alii statuunt. Juvani
se illi putant autoritate Taciti ann. III. inq̄uentis: *Nobis
Romulus, ut libitum, imperitaverat.* Cui addunt illud Pom-
ponii L. II. *π. d O. J. Initiò civitatis omnia manu regiã gu-
bernabantur & eadem legè §. XIV. Reges omnem potestatem
habuerunt.* Alii contrà existimant, Reges Romanorum non
habuisse in cives absolutam potestatem; sed plenã mino-
rem: Hi Dionysium Halicarnasseum, testem omni exceptio-
ne majorem, pro se adferunt: qui Libr. II. & VI. *Legem fu-
isse contendit jam olim ab Urbe condita, qua omnia in Sena-
tus potestate ponebat.* Hi quoque Taciti & Pomponii (si
quæ hinc fides est, cujus integra Historia *ἀνιστορίας* à vi-
ris doctis postulatur) assertionem paulò aliter explicant:
Hoc putant, principiò, Romæ nullas fuisse leges; omnia ar-
bitrio Regis, viri optimi decisa; & eatenus Romulum ut li-
bitum, h. e., ex suo viri boni arbitratu, ex recta ratione,
tanquam mensura, causas diremisse; quæ quidem litium &
controversiarum dijudicatio, sola pleni imperii argumentum
esse non potest. Nullas Romæ ab initio fuisse leges fate-
tur c. I. Pomponius. *Initio civitatis, inquit ille, sine lege
certa, sine jure certo populus primùm egit:* Nec multum ablu-
dit Salustius Catil. C. IX. *Jus bonumque apud veteres Roma-
nos non legibus magis, quàm Naturã valuit.* Commodè Ju-
stinus de Scythis, *Justitiam apud eos ingenio magis, quàm le-
gibus cultam:* & de Atheniensibus libr. II. eos *Libidinem Re-
gum pro legibus habuisse.* Addi potest principium Historiæ
ejusd. Quod quidem de Romuli temporibus verissimum
est. Numa demum Pompilius leges Romanis præscripsit,
& ut iis æternitatem daret, congressus finxit cum Dea Ege-
ria,

ria, ex ejusque præcepto leges se deferre dixit, *ut consuecendi
tadium metus religionis vinceret*; Sicut Lycurgus quoque A-
pollinem Delphicum legum suarum Autorem statuit, de
quo Justinus. L. III. Quamquam v. hæc explicatio elegans
sit, utrum tamen ex mente Taciti hausta, ego non definio.
Subscribam illi opinioni, si quis mihi Dionysium cum Plu-
tarcho, Scriptore itidem fide dignissimo, conciliaverit: *Ne-
que, ait Plutarchus, ad Rem-Publ. gerendam adhibebantur Se-
natores, sed nomen modò & speciem honorificam; ac de more
potius, quàm sententia dicenda causâ cogebantur in Senatum.*
Sed cùm hæc controversia ab instituto nostro sit alienior,
eam rectius mittimus. Hoc observasse sufficit, statum Ro-
mæ primis temporibus fuisse Monarchicum: quod quidem
in confesso est, neque illâ Titi Tatii, Sabinorum Regis, quin-
quenniali *συναρχία* validè oppugnari potest, cùm hujus im-
perium scenicum magis fuerit, quàm verum, nec insolitum
Romanis, ut inter *Instrumenta servitutis etiam Reges habe-
rent, magnificis titulis delinitos.*

§. XXV.

Durante hæc Rep. fasces tandem Imperii rapuit
Lucius Tarquinius, cognomentò Superbus, raptosque cum
summa injuria, civiumque exitio tenuit. His paternis fla-
gitiis accessit atrox Sexti filii, foedissimumque facinus, quod
ille, libidine stimulante, in castissima Collatini patraerat.
Jam & flagrans omnium in Regem Patrem odium, & stu-
prum nobilissimæ fœminæ à filio Regis illatum, morteq;
vindictatum, furorem plebis exacuerant. Junius Brutus, Ce-
lerum Tribunus, interque principes civitatis, cùm vidisset,
atrocissima supplicia manere Proceres civitatis, defendentes
libertatē, sapientissimò consiliò stultitiam hæctenus simulâ-
rat, ut minùs timeretur, ipse verò meliori se fortunæ serva-
ret:

D

ret:

ED
S.
LE

ret: Brutus, inquam, ille, nunc ansam mutandæ Reipubl. nactum se credens, gravissimè præterea læsus stupratione natæ ex se filia, cadaver Lucretiæ in forum proferri jussit, habitâque concione, crudelissimi Regis, filique facta exaggeravit. Fit de expellendo cum filiis Rege consilium, & nè trahatur res cum tanto periculo conjuncta, statim ejus exsecutio suscipitur, cum execratione Regii nominis & facta lege, nè unquam Tarquini in civitatem reciperentur. Atque ita cum Tarquinio Rege, regius Romæ status desiit.

§. XXV.

Ejectis itaque Regibus, & mutatâ Re-publ., ejus quoque status mutatus fuit; quique hæctenus erat regius, esse nunc desiit, duobus locò unius rerum potentibus. Id in magni nominis viro vehementer adminor, quòd putet, penes duos Consules statum Monarchicum remansisse. Profectò, in qua Reipubl. duo pari imperiò & simul imperant, in ea Monarchicus status non est, cum iste tum demum sit, quando unus ad clavum Reip. sedet. Hoc altioris est indaginis, qualis post ejectos Reges in Romana Rep. esse status cœperit? Si administrationem spectes, eam non negabis fuisse Aristocraticam, & intensivè quidem, quod esset penes duos tantùm. At si formam ejus consideres, quatenus populus summa Majestatis jura habuisse Romæ videtur, Romæ statum popularem obtinuisse, statim post ejectos Reges, non immeritò credas. Id equidem concedo, majorem tantò fuisse Consulium potestatem, quantò ea fuit recentior: Brutum tamen ipsum de Tarquiniis non recipiendis tulisse quidem legem; populum verò eam jussisse accepimus: Tum populus quoque Tarquinio Bruti Collegæ, innocentissimo viro, quòd esset ex Tarquinia gente, exilium indixit. Sed quibus, quæso, incrementis aucta postmodum est populi potestas

stas Consule Valerio Publicolâ, Tarquinii successore? Valerius ille invisus primùm erat populo, quòd oppressurus libertatem videretur, exstructâ superbiore in Velia domo, quæ arx & sedes servitutis futura videbatur. Mox hic Valerius, ut se omnibus *μισοτις* probaret, multas in gratiam populi leges tulit, quibus, debilitatâ Consulari potestate, plebis superbiam adauxit. Inter alias leges hæc celebratissima est, quâ reis civibus, ad supplicium postulatis, extremam provocationem ad populum adversus Magistratus, ipsos etiam Consules, permisit. Rectè hinc Appius Claudius: *Minas esse, ait, Consulum, non imperium, ubi ad eos, qui unâ peccaverant, provocare liceat.* Brevibus totam rem complectitur Pomponius l. 2. §. 16. de O. J. *Consules dicti ab eo, quòd plurimùm Reipl. consulerent, qui tamen, nè per omnia regiam potestatem sibi vendicarent, lege latâ factum est, ut ab iis provocatio esset, neve possent in caput civis Romani animadvertere injussu populi, solum relictum est illis, ut coercere possent & in vincula publica duci iuberent.* Hinc quoque Quæstorum parricidii, quorum meminit lex XII Tabul. origo. Taceo, quomodo interjectò tempore vires acceperit eundò populi potestas, mox creatis Tribunis, deinde Consulares quoque honores, Dictatorium imperium, ipsorum Pontificum Maximorum jura plebe sibi vendicante. Ex quibus intelligere non est difficile, Romanam Rempubl. sub Consulibus plurimam partem fuisse popularem, licet hæc à duobus tantùm administraretur. Unde Tullius Lib. III. de Legibus nobiscum conciliari potest: *Regiò imperiò duo sunt, ique consulendo Consules appellantur, militiæ summa jus habent, &c.* & Livius: *Consulum potestas eadem fuit cum Regia.* Hæc enim si de administratione sermo sit, optimè locum habere possunt. Ipse ille popularis status duravit in

D 2

Repl.

ED
RS.
LE

Repl., donèc ea in manum unius pervenirèt; & quamvis aliquam libertatem Principes populo videri vellent reliquisse; eam tamen fuisse ὄνομα καὶ χῆμα ἐπιμὸν credendum est. Cerè principatum cum libertate miscere nolebant; ut mirum mihi videatur, quò pacto Ulpianus Jctus I. §. I. π. ad L. Juliam, crimen Majestatis læsæ describere potuerit, quod adversus populum Romanum, ejusque securitatem committitur, cum eo, quò hæc Ulpianus scriberet, tempore, nullam omninò populus Romanus Majestatem habuerit.

§. XXVII.

Adhuc circa Matrem suam luctabatur cum finitimis populus Romanus, cum discordiis inter Patres & plebem ferventibus, metuque Latini belli nondum extinctò, triginta contra Romanos, concitante Octaviò Mamiliò, conjurarent populi. Erat tunc Roma tantarum rerum expectatione ad summas redacta angustias, neque emerfura videbatur, nisi extremis malis extremum attulisset remedium, & Dictatorem, primum quidem T. Laertium, nonò post ejectos Reges annò creasset. Quod consilium, tanquam cœlò missum, & solum atque unicum rebus difficillimis, armisque incitatissimò tempore salutare, multis commendat elogiis N. Machiavellus Dissert: ad Livium cap. XXXIV. Hic Dictator, unde fuerit dictus, alii disquirant. Nostrum est videre, quâ Dictator ille fuerit armatus potestate, utrum summa & Regia; an vero extraordinariâ & majore, tali tamen, quæ superiorem haberet aliam. Priorem sententiam multi amplectuntur. Inter illos facilè Princeps Hugo Grotius, qui citatò sæpius locò *Regis Temporarii exemplum in Dictatore proponit*. Non latum ab opinione hac unguem discedit Boxhornius de Regio Rom. Imper. C. IX, cui proinde Dictatura est *Monarchia in Repl. Romana, sive verè regia*

gia & summa; sed semestri spatiò definita, domi ac militia imperandi potestas, extra ordinem, maximè in rebus trepidis adversus hostes, gerendare, sedandaque seditionis causâ in unum collata, cui cedebant alii Magistratus, ipsi etiam Consules, & à quo ad populum provocatio non dabatur. Prolixum foret, omnia membra hujus definitionis Boxhornianæ sigillatim expendere: Si quæ illa contra nos habet, ea inferius attingemus: Et nisi me omnia fallunt, fati supra ostensum est in genere, talem potestatem, quæ à certo tempore & negotio suspenditur, non esse Regiam, quòd ea neque summa sit, neque perpetua, neque legibus soluta. Qualis igitur hæc Dictatoris erit potestas? non Regia erit, quia semestri tantum spatiò circumscripta; sed major quidem illa erit, & extraordinaria; talis tamen, ut dixi, quæ superiorem habeat aliam. Hæc autem potestas Magistratum est. Ergò meò quidem calculò rectius Dictator ad Magistratum, quamvis Extraordinarium, classem referetur. Sed hîc non abs re erit, intimius statum Reipl., quò deligebatur Dictator, perspicere. Erat ille, quod supra innuimus, popularis; qui duravit quoque ut plurimum omnium Historicorum testimoniis ad tempora C. Julii Cæsaris, novæ Monarchiæ conditoris. Tantum abest, ut existet apud Historicos, eam potestatem à se deposuisse populum, ut omni potius conatu id egerit populus, ut sua semper potestas convalesceret: At verò si cum regia potestate Dictatorem creavit populus, hanc suam potestatem abjecisse à se necesse est, quod tamen cum fide Historicorum pugnat. Accedit, quòd, cum primus crearetur Dictator, omnium obversaretur animis gravissima illa execratio, quâ se obstrinxerant Romani, neminem Romæ regnare passuros. Jamne igitur, nonò statim post ejectos Reges annò regiam, mutatò tantum nomine,

mine, ferent potestatem, autores ejus simul & conservatores?
Quòd si vera est illa Bœcleri observatio, Latinos veteres
nunquam ei titulum Magistratûs tribuisse, qui Majestatem
haberet; res tota secundum animi sententiam confecta erit. En
tibi autoritatem Livii, apud quem Libro II. Manilius Va-
lerius: *Discordia, inquit, intestina, bellum externum fecere, ut
hòc Magistratu* (puta Dictatore) *egeret Respubl.* Cui adsti-
pulatur Pomponius l. 2. §. 18 de O. J. *Populò auctò, cùm cre-
bra orirentur bella, & quadam acriora à finitimis inferrentur,
interdum, re exigente, placuit, majoris potestatis Magistratum
constitui: Itaque Dictatores prodi sunt: & ibidem. Hunc
Magistratum, quoniam summam potestatem habebat, non erat
fas ultra sextum mensem retinere.* Vides Dictatorem ap-
pellari Magistratum, quæ injuriosa fuisset appellatio, si
ipse Majestate fulsisset. Syllæ & Cæsaris Dictaturam sem-
per hic excipio, qui non tam Dictaturâ, quàm libidine, spretis
legibus, Rempubl. opressere.

§. XXVIII.

Objiciunt Boxhornius & alii; Summam fuisse Dicta-
toris potestatem, quòd esset sine provocatione. Quamquam
verò magna sit sine provocatione potestas, ea tamen ali-
quãdo summa non est, neque semper indubitatum Majestatis
argumentum. Ita Pomponius Jctus π. de O. J. L. II. §. IV.
*Decemviros sine provocatione in Repl. Romana fuisse testatur,
qui tamen fuerunt nudi Magistratus, & eodem loco rectè
eos cum Magistratibus Pomponius comparat: Neque pro-
vocatio, ait ille, à Decemviris, sicut à reliquis Magistratibus, fie-
bat.* Eòdem modò dices etiam Præfectum Prætorio sum-
mâ Majestate decoratum fuisse, quòd ab eo nulla daretur
provocatio, nè ad Imperatores quidem. *His cunabulis, est
in L. unic. π. de præfect. prætor. §. I. Præfectorum autoritas
ini-*

7.
tiata in tantum meruit augeri, ut appellari à Præfectis Prætorio non possit. Sed amens sit, qui existimet, Imperatores Axioma suum Imperatorium in Præfectos Prætorio abjectum, à se transtulisse. Ita Pharaos dixerat Josepho Ægypti Pro-Regi Gen. V. XLIV. *Ego sum Pharaos, absque tuo Imperio non movebit quisquam manum pedemque in omni terra Ægypti.* Nullibi tamen legimus, Regis titulò Josephum insigniri, quòd demandata hæc & precaria, non propria esset quavis maxima potestas. Nostris temporibus accepimus Albertum Wallensteinium, Friedlandiæ Ducem, à Ferdinando Imperatore quinquennale sine provocatione stipulatum fuisse militare imperium. Quò factò mansit ipse tamen Wallensteinus Imperatoris subditus, & ei, cum peccasset, pœnas dedit. Refert Galeacius Gualdus, ipsum hæc suâ potentia tantopere intumuisse, ut jam nè preces quidem Imperatoris audiret: Miserat aliquando Imperator ad Wallensteinium literas, in quibus rogabat, ut præsentibus juvenes sub se militare sineret, iisque officia honoratiora conferret: at ille ad Juvenes: *Vienna mirum, dixit, regnare otium: Irent & Majestati C. dicerent, venationibus & aucupis, cantuque sacellorum suorum sese oblectet, belli securæ.* Nec enim militum aulicorum præceptis indigere, nec fas esse, ut bellica tormentorum prælia ad cantorum regulas sese paterentur dirigi. Plura exempla addere supersedeo, cum hæc satis manifestum faciant, eum aliquando, qui imperium sine provocatione habet, superiorem habere alium, uti Decemviris superior fuit Populus; Præfectis Prætorio Imperatores veteres, Josephò Pharaos, Wallensteinio Ferdinandus.

§. XXIX.

Id notatu dignissimum est, à quibusdam recensitarum personarum si non provocandi; supplicandi tamen etiam ad

ED.
S.
LE

ad alios jus fuisse; ut vel solò hóc factò 'constare' possit
illorum munerum fragilitas, quanquam magnificis titulis
incrustata. De Præfectis Prætorio lex Cod. de sent. præ-
fect. præt. *Litigantibus in amplissimo Prætorianæ præfecturæ
iudicio, si contra jus se lesos adfirment, non provocandi; sed
supplicandi licentiam ministramus, licet pro curia vel qualibet
publica utilitate, seu alia causa dicatur prolata sententia. Nec
enim publicè prodest, singulis legum adminicula denegari: cui
textui addi potest L. XIX. & XX. C. de Appellationibus.*
Ita à Dictatoria potestate ad Tribunos, qui tanquam ἀσπλοί,
& libertatis popularis custodes, omne intercedendi jus ha-
bebant, supplicari potuit. Exemplum hujus rei in Papirio
& Fabio Maximo II. Dictatoribus adfert Librò VII. Livius,
qui equitum Magistros, quòd contra auspicia pugnassent,
capitis damnarant; quos tamen intercessio ad tribunos à
ferali carmine liberavit: Ita Pater Fabii, quem condemna-
verat Papirius Dictator: *Tribunos, inquit, appello, & provo-
co ad populum, qui plus, quàm tua Dictatura potest:* ubi tamen
nota, voces appellandi, supplicandi promiscuè hìc usurpari,
quæ aliàs in jure propriè acceptæ, ab invicem distinguntur,
peculiarem quâlibet actum significante. Similiter novi-
mus, capitis periculum eos sæpe subiisse, qui hac extraordi-
nariâ & majore potestate abusi sunt. Quem eventum habue-
rit Wallensteinij quis est, qui ignorat? Memorabile est, quod
de Remero Orco in Principe narrat Machiavellus. Hunc Va-
lentinus Dux, Cæsar Borgias, cum summa potestate Ducatus
suo præfecerat; Ille vero crudelissimè cives tractavit. Ipsum
illum Orcum (quamvis huic faveret tacitè Borgias, quòd i-
psius ope novum Principatum sub jugum mitti posse crede-
ret) quòd abusus videretur potestate suâ, &, ut gratiosum se
populo redderet, Orcum ad supplicia postulantem, Cæsar
Bor-

Borgias, in duas discissum partes, summo quodam mane, frustò
ligni & cruentò gladiò ad ejus latus aptatò, in Casennatum
medio foro deponendum curavit.

§. XXX.

Satis, uti arbitror, ostensum est, Dictatorem fuisse in
Repl. Romana è Magistratum numero, & idcirco eum
pro Rege minimè habendum esse. Nunc ad Æsymnetam
nostra se vertat Disputatio, jamq; è Latio in Græciam traji-
ciamus. Libri III. cap. XIV. de Repl. quinque Regnorum
genera proponit Stagirites, quæ tamen sequenti capite ad
duo summa reducit. Nos quinque illa Regnorum ge-
nera paucissimis recensibimus, initium à Regno Laco-
nico facturi.

§. XXXI.

Primum itaque Regni genus Aristoteli est, quod apud
Lacones obtinuit, inde etiam Laconicum dictum, in quo
Rex maximè fuit *ἡ νόμος*: Quod quidem Aristotelis e-
nunciatum de iis Reipl. Laconicæ temporibus intelligendum
omninò est, posteaquam illa Lycurgi legibus esset instituta.
Nihil enim verius est, quàm fuisse ante legislationem Ly-
curgi in Repl. illa Reges cum summa potestate, quæ etiam
potestas nimia in causa fuit, ut Lycurgus novis Rempl. le-
gibus instituendam censeret; id quod præclarè persequitur
Nicolaus Cragius Ripensis de Repl. Lacedam: qui proinde
V. Epochas constituit, secundum quas formam illius
Reipl. variam explicat. Hoc quidem citra dubium est,
optimam fuisse Reipl. Laconicæ formam, quæ prodiit ex
Lycurgi institutis, cujus rei argumentum est, quòd ea octin-
gentos annos perstiterit, cum Atheniensium Respl., quam
legibus formarat Solon, vix ætatem hominis durarit, ipse-
que Solon adhuc superstes in Patria Tyrannidem Pisistrati-
cam

E

ED
S.
LE

cam viderit. Lycurgi Legislationem pereximiè describit
Libr. III. Histor. Justinus, quod caput totius Libri elegan-
tissimum est. *Regibus, inquit, potestatem bellorum, Magi-*
stratibus judicia per annuas successiones; Senatui custodiam le-
gum; populo sublegendi Senatui, vel creandi, quos vellet, Ma-
gistratus permisit. Rectè hinc divinus Plato IV. de Legibus:
Politiã Lacedæmoniorum quomodo appellare conveniat, hæc
in prolixi est tibi dicere. Atque hoc est optimi Legislatoris
artificium, ita temperare Remp., ut & in ea Regi potestas, &
Senatui dignitas, & populo Libertas supersit, verbò, ut ne-
scias, ad quam Reip. formam eam initiò referas. Putat N.
Machiavellus in Disc. ad Livium, eam Remp. firmissimam
fore, minùsque frequentes mutationes passuram, *quæ hæc*
quasi temperie constat. Sed ad Aristotelis Regem Laconi-
cum revertamur. Dicit eum Aristoteles maximè secundum
Leges esse. Neque enim omnium habere potestatem;
quod ita mox explicat Philosophus, ut probè distinguat tem-
pora Pacis & Belli. Pacis tempore magis Principatum, quàm
Regnum habuisse Reges hi censendi sunt. Ideoque penes
alios erat pacis tempore arbitrium eorum, quæ pertinebant
ad summam Reip. Regibus tunc sacrorum cura & ceremo-
niæ erant commissæ, quòd putarent Lacones, facillimè pla-
cari posse Deos per Reges, DEORUM progeniem. Addunt
tamen alii, etiam Pacis tempore Reges Laconum potestatem
habuisse quosdam minores Magistratus creandi, v. gr.
Proxenos & Pythios; item leviorum causarum dijudicatio-
nem penes Reges fuisse. Quicquid hujus sit, exigua fuit
horum Regum Pacis tempore potestas, ipsique æquivocè
tantùm Reges. Pertinet hùc illud Cornelii Nepotis de Re-
gibus Lacedæmoniis. *Nomine magis, quàm imperiò Reges*
erant. At quæ fuit Regum Spartanorum tempore Belli pote-
stas?

stas? Maxima illa fuit & absoluta. Testatur hoc ipse Aristoteles c. l., suæque sententiæ testem laudat Homerum. Erat Agamemnon in concione maledictis & jurgiis impetitus; neque cum esset in concione, obloqui ausus fuit. At cum è concione ad prælium egressus esset, ita inquit: *Quem ego procul à pugna fugientem conspexero, non sibi sat erit fugere canes aut aves. Nam penes me occidendi potestas.* Patet hinc, Belli tempore summum fuisse jus penes Reges autoritatemque eximiam. Quamvis verò tempore Pacis minor fuerit Regum potestas; ea tamen fuit perpetua. Ostendit hoc Polybius Lib. VI. *ὅτι λακεδαμονίοις οἱ μὲν βασιλεῖς αἰδίων ἔχουσι τὴν δέχην.*

§. XXXII.

Alterum Aristoteli Regnum Barbaricum est, quòd Barbari eò uterentur. Erant autem Barbari omnes homines, qui Græci non erant. Hæc hominum divisio autores habet Græcos, qui insulsè & superbè alios homines omnes, qui ex Græcia oriundi non essent, vocabant barbaros, hoc est, homines aptos natos ad perferendum unius herile imperium, naturâ servos, talesque, in quos justum Græcorum esset bellum; se contra homines prædicabant acri ingenio præditos, qui à natura facti sint, ut aliis imperitarent; Libertatis item amantissimos. Hinc *Δεσποτία* (nihil enim est aliud Regnum Barbaricum) dari inter Græcos negat Aristoteles, eamque solorum Barbarorum esse vel ipsò nomine Barbarici Regni indicat. Regnum autem Barbaricum describit Philosophus, *quòd vim habet proximam Tyrannidi, licet sit legitimum, & secundum morem patrium*: verbò Barbaricum Regnum ipsa Tyrannis est; in his tantùm à Tyrannide discrepans, quòd in Barbarico Regno in volentes; in

in Tyrannide in invitos exercetur imperium: Tum quod Barbaricus Rex à Civibus custodiatur; Tyrannus vero utatur satellitio exterorum, & mercede conductorum militum; contraque cives custodiam paret. Quas differentias ipse Aristoteles suggerit. Id vero consentaneum non est, omnes Barbaros (accipio distinctionem Græculorum) subfuisse despotico unius imperio. Hoc mihi facile quis largiatur, Germanos (datâ hâc distinctione) sub Barbaris contineri, quod Græci non essent. At audiamus ex Tacito de M. G. quodnam apud eos Regnum obtinuerit: *Mox, inquit ille, Rex vel Princeps, prout ætas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est, audiuntur, autoritate suadendi magis, quàm jubendi potestate.* Quod Taciti dictum de omnibus Germaniæ populis verissimum est, si solas Sviounum (hi hodie Sveci vocantur) Civitates ipso in Oceano excipias, quibus, teste eodem Tacitò, *unus imperavit nullis jam exceptionibus, neque precariò jure parendi.* Sed ipsi Græci Barbaros dividebant in Asiaticos & Europæos, illosque magis serviles dicebant, quàm Europæos, lubentiùsque unius dominatum tolerare. Quæ quidem Græcorum sententia in Asiaticis populis non fallitur: Livius, *Syri, ait & Asiatici genera hominum servituti nata: Cui convenit illud Apollonii. Assyrii & Medi etiam dominationem adorant.* Nec non Taciti: *Servirent Syria, Asiaque, & sævius Regibus Oriens:* Facile autem excusari potest Aristoteles, qui non omnes barbaros sub tali tyrannico Imperio esse contendit; sed dicit *οἷα παρ' ἐνίοις εἰσὶ βασιλείαι τῶν βαρβάρων, qualia apud quosdam sunt, hoc est, perhibentur Regna Barbarorum.*

§. XXXIII.

Succedit Æsymneticum Regnum, cujus explicationem ultimò locò suscipiemus. Porrò de Heroico & Pambasilico

lico Regnis multa dicere non attinet. Heroicum Regnum
viguit circa tempora Trojana, cum ex sola virtute & pro-
pter merita, quæ c. l. fusiùs proponit Aristoteles Regna
delata fuerunt. Neque verò illud multum à Laconico
differt. De Regno, in quo unus omnium habet potestatem
parcè citatò capite agit Aristoteles: Plura de Monarchia
sequentibus capitibus adfert; elegans præ aliis caput est
XVI, in qua disquirat: Utrum Monarchia sit secundum
naturam.

§. XXXIV.

Jam de Æsymnetico Regno sermonem pertexamus.
Hoc Aristoteles describit, quòd sit ἀσπὴν βασιλεύς, à Barba-
rico Regno parùm distans. Duplex autem illud facit, quòd
hic probè notari velim, vel quòd vivente eò, cui delatum
est, durat, vel quòd tempore aut finitò negotiò finitur.
Quin illud Æsymneticum Regnum, quòd cum vita finitur,
verè Regnum sit, nefas est dubitare. Sed quid de Æsymneta
Temporario? Hunc è numero Regum meritò ejicimus,
cum, ut supra pluribus ostensum est, cum illa sublimitate
pugnet, quicquid temporarium est, aut à certo negotio de-
pendet. Unicum Exemplum Æsymnetæ Temporarii in
Pittaco, Duce Mitylenæorum adversus Athenienses pro-
ponit Aristoteles, quem tamen Pittacum verosimile est im-
perium ad tempus acceptum, nunquam deposuisse, & Acron
in Oden XIII. Libr. II carminum, ab Alcæo Poëta expulsum
memorat: Quin Alcæus ipse in quodam suorum carminum
loco increpat, teste Aristotele, Mitylenæos, quòd Pittacum,
obscuri generis hominem laboranti civitati præfecerint,
Tyrannum plausu frequentantes. Sed hoc videndum hîc
est, quomodo nobiscum conciliari possit Aristoteles, cujus
autoritas ἀσπὴν Regem videtur facere. Aut igitur exi-

stimandum est, Aristotelem Æsymnetæ Regis titulum tribuisse, quòd etiam Æsymneta daretur perpetuus, neque infrequens sit, de voce æquivoca id enunciare, quod in voce illa *πρώτος καὶ κρείων* spectatur: aut æquivocè locutum esse Aristotelem propter ideam quandam & similitudinem, quam temporarius cum perpetuo Æsymneta habet, quæ locutiones æquivocæ apud omnes autores, tum apud Aristotelem non unò locò reperiuntur.

§. XXXV.

Puto jam manifestum esse, Dictatorem & Æsymnetam Temporarium, summos fuisse Magistratus, hunc Græcæ; illum Romanæ Reip. Ludibrium erat, quòd Augustus apud Dionem Libr. LIII imperium sibi tantum in decennium dari voluit, & post, illud rursus in decennium prorogavit. Ludibrio scelus miscuit Nabarzanes apud Curtium Libr. V. C. IX: *Auspicium, inquit ille, ad Darium & imperium alii trade interim, qui tamdiu Rex appelletur, donec Asia decedat hostis; Victor deinde Regnum Tibi reddat. Bessum Regem temporis gratiâ statuamus: Compositis rebus justo Regi Tibi fiduciarium restituat imperium.* Circa pactum Eteoclis & Polynicis, ut alternis annis imperarent, responderi potest, illos hoc egisse, ut pro iudiviso tractarent Regnum, alternis annis administrandum, adeoque pro una eademque Persona habendos esse.

§. XXXV.

Exemplum de Curatoribus Regni, quod adfert Grotius de J. B. & P. L. I. C. III. minùs hùc quadrat. Sicut enim privatus minorennium, vel furiosorum, aut mente captorum Curator, earum rerum, quæ ad minorenes, furiosos aut mente captos pertinent, Dominus non est, nè ad momentum quidem temporis; ita Curator quoque Regni, ejus,

ejus, quod curat, Regni, Dominus non est. Quin fatentur hoc ipsi Regnorum Curatores, qui subscribentes publicis aut privatis literis, non suo; sed curatorio aut tutorio nomine, hoc est, alieno negotium gerere se testantur. Id verius est, infantem etiam Regem verum Regni Dominum esse, quamvis imperium nondum exerceat; sicuti pupillus quoque in jure privato verus rerum suarum Dominus est; tametsi administrationem bonorum nondum habeat. Videtur hoc ipse fassus Grotius, qui proinde C.I. §. ult. recte jus inter & usum juris distinguit. Sed hic nostra terminetur Disputatio. Benevolus Lector, pro ea, qua par est, humanitate hos conatus, hanc juvenilem operam æqui bonique consulet.

HENDECASTYLLABI.

Quid de fidere *Temporariorum*
Regum quis statuatur, videtur esse
Lis sub iudice forsitan peranceps;
Gyro regna brevi, dieque flecti,
Nec tam continuo ligata nexu
Vitam ducere semper hæc perennem,
In regnis etiam vices placere
Non uni populo, putat nec unus.
Reges unica ponit hora dicunt,

Floris

ED.
S.
LE

Floris solstitialis instar herbæ,
Quos post altera nesciit fuisse:
Regnis talibus haud minora fata
Volvuntur, redeunt suum per orbem,
Vivunt lege suâ, vigentq; pactis,
Nec stant consiliô minùs, nec arte.

Reges perpetuos ego Monarchas,
Sæpe, per me equidē, ô Amice FUCHSI,
Omnes esse, fuisse cogitavi;
Immortale magis, magisq; firmum
Regum nomine nescit aula nomen:
Non illud caries edit, nec ætas,
Non hîc exacuit rubigo dentem.
Reges Numina sunt, *genus Deorum*,
Majestas metuit nihil, sed illam
Quævis secula purpuram verentur;
In hanc legibus haud licebit unquam,
Subdunt tempora se libenter illi
Æternæ soboli, Diisq; charæ.

Hæc est ingeniô, Tuâq; dudum

FUCH-

FUCHSI, Pieridum Decus Sororum,
O Doctissime, digna res Minervâ.
Hæc est pagina, vinulis, venustis,
Et tot Socraticis revincta verbis.
Hæc spirantia mella sunt Platonis,
Hæc Themis sacra panditur recessu.
Nostri pulpita gratulantur orbis,
Fervet plausibus, & fremit Lycæum,
Ac votis ego subsequor secundis;
Donec Te niveis ferat quadrigis
Cœlô fama suô, iubarq; spargat
Immortale Tuum per astra nomen,
Nostris undique laureis revinctum.

*Ita de Rege Temporario disputanti,
Clarissimo Dn. Fuchsio seriò
gratulab. & applaudeb.*

PAULUS P.F. SPERLING,
S. Theol. D. & Prof. P. Ordin:
Præpositus per Holsatiam Ducalem.

F.

Ad

ED.
S.
LE

Ad Nobilissimum & Clarissimum Virum
Dn. MICHAELEM FUCHSIUM,
Elbingâ Prussum,
Amicum suum & Convictorem suavissimum,

Cum
De REGE TEMPORARIO
& scripsisset, & disputasset.

DUlcis amor Vatum, FUCHSI, jucundaq; suada,
Juridici consors delictumq; fori.
Post tot in immenso vigilatos jure labores,
Ingenii profers hæc monumenta tui.
Eligis è variis hoc dignam tempore causam,
Vexatamque mala suspicione levas.
Dictator, quem Regem alii sine lege putabant,
Vindice Te populi pendet ab ore sui.
Temporibus, quæ nulla sibi distincta reservat
Regia lex, vincitum non finit esse ducem.
Rex liber est, primus, gravis & sine teste Monarcha,
Nec fines regnum passus habere suum.
Vilescit nomen sine succo & sanguine, nec jam
Plus circumscripto Principe Sylla valet.
Quæ cum deducis civili è fonte petita,
Juraq; vix ullis ante notata refers.
Regali assurgunt merito Tibi pulpita plausu,
Et confert voces plurima turba pias.

Scili-

Scilicet, ut regis pretium formamque reducis,
Doctorum Rex es doctus in imperio.

Joh. Nicol. Pechlin, Med. D.
Institut. & Botan. Prof. Ordin.

Præclaro Eruditissimoq; Juveni

MICHAELI FUCHSIO,

Convictori suo & Amico suavissimo

De

REGE TEMPORARIO

disputanti.

Qui vixti nostris gratissimus hospes Athenis,
Flos Juvenum, FUCHSI, Pieridumque
decus,

Cui ego sexcentos cum vellem fundere versus,
Nunc tenue hoc nostri pignus amoris habe,
Dum Cimbris abiturus agris hæc pulpita scandis,
Unde sonant oris verba diserta tui.

Te Bonus omnis amat, cui virtus ignea fibras
Vellicat, ingenuum cui sedet ore decus;
Cui animos faciles generoso incoxit honesto
Astræa, ac artis pandit opaca suæ.

Conspirant junctæ Tibi amico fœdere Musæ,
Te sibi dilectum quæ petière caput.

Jamq; Tibi exercet doctas ars Regia curas,
Majestasq; tuum summa tribunal adit.

Heic

ED.
S.
LE

Heic tu regna tenes, illâ dominaris in aulâ,
Accipiunt leges sceptrâ vel ipsa tuas.
Nos te nunc animo complexum summa feremus
Laudibus: auspiciû res habet illa suum.
Devia sectantur multi & longinqua viarum:
REGIA, qua Tu nunc tendis, Amice, VIA est.

scr.

D. G. MORHOFIUS. D. Pr.

Illud iter, quod, Amice, tenes, legumq; perite,
Electum cunctis præfero sponte viis.
Omnia quæ spiras, tenero mihi lenia sensu,
Horaq; te nulla est præcipiente gravis,
Accipio facilis socii dictata magistri,
Jamq; novâ pectus fingitur arte meum.
Te Duce Palladiis maneo districtus in ulnis,
Et mihi terna manet conciliata Charis.
Nec mea jam sola es, FUCHSI, vel nuda voluptas,
Verum etiam totò spargeris orbe decus.
Non equidem invideo, tua sit notissima virtus,
Et vaga doctrinæ sint monumenta tuæ.
Sim modò perpetuus lateri comes, inq; docentis,
Sit mihi perpetuò vivere dulce, sinu.

Domino Amico & Fautori suo scr.

Hermannus à Deginck,

L. L. Stud.





Nob. ac Præstantissimo

Dn. MICHAELI FUCHSIO,
Amico perdilecto, & Auditori
suo sedulo

S. P. D.

Nicolaus Martini D. Novell.
& Pol. Prof.

Non possum non summopere deprædicare,
Amice suavissime, tuum præsens hoc insti-
tutum, quô, postquam per aliquot annos,
in illustri hoc Athenæo Cimbrico, strenuam studiis
operam navasti, tandem discessurus, & illorum,
quos apud nos fecisti, profectuum, specimen ali-
quod relinquere, & elocati temporis causam dare
hoc modo voluisti. Cum primis autem vel eo no-
mine laudem promereris insignem, quod Philoso-
phiam

)

phiam

ED.
S.
LE

phiam, Moralem præsertim, (quæ nostra est) & Ci-
vilem, suo æstimare precio didiceris : quod paucis-
simos, hâc quidem tempestate facere, toties de-
ploro, quoties Jurisprudentiæ fata, ejusque cultor-
um mores hodiernos mecum tacitus expendo. In
recente adhuc memoria, dubio procul, habes, quos
de studio Juris rectè instituendo, cùm primum in
Academiam hanc pedem intulisses, & Præclari cu-
jusdam Viri, communis nostri Fautoris ac Amicî
suasu, me studiis tuis ductorem optares, tecum
sermones habuerim. Placuit tibi meum con-
siliium, quo orsum à Philosophia, & imprimis Pra-
ctica, formandum, neque, quod nimis multifaci-
unt Juvenes, illotis hæc Themidos sacra mani-
bus tractanda, dicebam; Teque, ut Regiam hanc
viam ambulares, hortabar. Quod idem præce-
ptum sæpius ac subinde meis Auditoribus, illis ma-
ximè, quorum res familiaris non impedit, quo mi-
nùs aliquot annis in Academiis subsistant, instil-
lo, quin inculcare nunquam non allaboro. At-
que utinam omnes æque, ut Tu, saluberrimi hu-
jus consilii & moniti vim intelligerent; præclare
pro-

profecto cum Jurisprudētia ageretur, neque pro
Jctis legulejos, pro advocatis & causarum patro-
nis inscitos formularum cantores, & tintinnabula
fori; denique, ut verbo me expediam, pro doctis
indoctos mundus adoraret. Tu felicioribus auspi-
ciis arduum hoc prudentiæ juris iter ingressus,
quos in scientia civili, feceris hætenus passus, e-
gregiè & ad exemplum aliis, hac argumenti ratio-
ris dissertatione, nobili quodam veluti monumen-
to declaras. Elegans sanè est, quod delegisti
thema, in quo licet unum alterumque, tum ratio-
ne *oinovopias* ipsius, tum fundamentorum, quæ
operi substernis, monere potuissem, malui tamen
genuinum, quale ab ingenio tuo profluxit, quam
meis annotationibus immutatum ac emendatum,
speciosius in vulgo comparere. Quod vel ideò fa-
cere nolui, ne, quod multis est perquam solenne,
partum adulterinum matri non suæ supponerem.
Sed & illa de causa circulos tuos turbare nefas habui,
ut præclaris conatibus tuis non tam frænum injice-
rem, quam ad majora posthac audenda calcar adde-
rem.

ED.
S.
LE



rem. Votum subijciam, verbis Imperatoriis con-
ceptum; Faxit DEUS Opt. Max. sic Te erudi-
tum ostendas, ut spes te pulcherrima foveat, toto
legitimo opere perfecto, posse etiam Remp. pa-
triam, in partibus ejus Tibi credendis, gubernari!
E Muséo prid. Id. April. Anno 1675.

X 261 5899






KD17







B.I.G.

Farbkarte #13

um. 39, ~~Pa. 3. 15.~~

POLITICA

1645, 2

CEM-

9/1

IO,

inis gratiâ,

ultissimô,

MARTINI,

s Professore

H S Borussus

ens.

ditorio Majore.

Typogr. 1675.

FRIEDRICH
UNIVERS.
V HALLÉ

ED
RS.
LE

